

pe Parens, DEVS, superne in Coelis habitat: semen
verbi cœlo quasi decidit. Non possunt ergo non
ex hoc semine geniti, ab hoc parente prognati, e su-
pernis nati esse; cum contra in physica generatio-
ne diversum prorsus obtineat.

§. XIII. Cum Nicodemus mysticam hanc ge-
nerationem audiret, protinus in hæc verba erum-
pebat: πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέροντων; Μὴ δύναται
εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτῆς δεύτερον εἰσελθεῖν καὶ γεννηθῆναι,
*quomodo potest homo senex nasci? Num potest in ute-
rum matris suæ iterum introire & nasci?* Scilicet re-
cte equidem generatio uteri materni ipsum memi-
nisse faciebat; in eo autem fallebatur, quod matrem
& uterum in generatione cum matre & utero ge-
nerationis eadem putabat. Aliam Galatarum rege-
nitorum, partim adhuc regenerandorum, matrem, ali-
um uterum, Apostolus proloquitur, cum ait, se eos
ὠδινεῖν. Τεκνία μὲν, ait ἕς πάλιν ὠδινῶ. Interpretes fer-
me omnes, Tremellius & Junius, Beza, Erasmus,
Lutherus & Anonymus Gallus, verbum ὠδινεῖν ver-
tunt per *parturire*. Sciendum autem, quod ipsum non
unius sit significationis. Equidem frequentius idem
est atque parturire; nonnunquam tamen etiam con-
ceptionem foetus & gestationem in utero designat,
ut hujus ejusdem cap. IV. ad Galat. v. 27. Confer ver-
sionem LXXII. Interpp. ad Jes. LIV. 1. Nec reticen-
dum, quod valde emphaticum existat. Etenim usur-
patur de anxietate urbis obsessæ hominumque sub ex-
tremi judicii diem, Marci III. 8. de anxietate mori-
bundorum Act. II. 24. & paventium, I. Theff. V. 3. Hic
loci conceptionem & gestationem foetus, difficultatis &